

Fides Euangelio habita viuificat, & per- A Iustificati fide pacem habemus. Roman. c. fundit cor vera lætitia : vnde dicitur, 5. versic. i.

## C A P I T I S . X L V I .

## Argumentum, Vsus, Partitio, Analysis.

**H**oc caput est ὁδοι ποεινὸν Iacobi in AEgyptum, quo liberalitate regis, ac desiderio videndi filii vocatus accedente oraculo cum vniuersa familia descendit: à filio Iosepho reuerenter excipitur, & de rege decore compellando instruitur. Incipit igitur hic impleri oraculum supra cap. 15. 13. Abrahamo datum: Semen tuum peregrinum erit in terra non sua. Consideranda rursus venit admirabilis Dei prouidentia in exsequendis suis consiliis: Nec non Ecclesiae conditio in hoc mundo: que varie hoc illuc exilii iactatur: quid enim profectio hæc aliud fuit, nisi Iacobi è terra promissionis nouum exilium? Constantiam tamen in fide & cultu Dei retinet, & diuinæ presentiæ conflatione sustentatur.

Partes historiæ sunt tres:

- I. Migratio Iacobi cum familia in AEgyptum, vsque ad v. 8.
  - II. Familia seu filiorum & nepotum Iacobi Catalogus vsque ad 28.
  - III. Iacobi & Iosephi suauissimus congressus vsque ad finem.
- Circumstantiæ vero particulares obseruentur in singulis.

In prima parte I. Profectio & sacrificium Iacobi in Beerseba. v. 1.

2. Oraculum confirmans Iacobum, v. 2. 3. 4.

3. Progressus ex Cananæa in AEgyptum cum omni familia, v. 5. 6. 7.

In secunda sunt quatuor ordines familie:

1. Filii & nepotes Iacobi ex Lea, triginta tres vsque ad v. 16.
2. Filii & nepotes ex Zilpa, sedecim v. 16. 17. 18.
3. Filii & nepotes ex Rahel, quatuordecim v. 19. 20. 21. 22.
4. Filii & nepotes ex Bilha, septem v. 23. 24.

His subiicitur 5. omnium collectio in summam v. 26. 27.

In tertia erit

1. Missio Iude ad Iosephum ver. 28.
2. Complexus mutuus filii & patris, v. 29. 30.
3. Consilium Iosephi, quo patrem & fratres de salutando rege instruit & v. 31. ad finem.

## P R I M A P A R S C A P I T I S

## Migratio Iacobi in AEgyptum.

1. Profectus itaque est Israel cum omnibus quæ habebat, & venit in Beerseba, & immolauit sacrificia Deo patris sui.
2. Locutusque est Deus ad Israel in visione nocturna, & dixit: Iacob, Iacob: Qui respondit: Ecce adsum.
3. Et dixit: Ego sum Deus, Deus patris tui: ne metuas descendere in AEgyptum: quoniam in gentem magnam ponam te ibi.
4. Ego descendam tecum in AEgyptum: & ego ascendere faciam te etiam ascendendo: & Ioseph ponet manum suam super oculi tuos.

5. Serre-